



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Commentarius In Regulas Juris Pontificii, Qvæ In Libro Qvinto, Et
Sexto Decretalium Continentvr

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1659

Regvla I. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione
Canonicâ obtineri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61853](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61853)

REGVLA I.

*Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione
Canonica obtineri.*

I. **B**eneficium Ecclesiasticum est *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis, propter officium aliquod spirituale auctoritate Ecclesie constitutum.* c. *Tua nobis. de verb. signif. Less. c. 34. d. 1. Dicitur I. Ius perpetuum, scilicet per se & ex natura sua. 2. Fructus ex bonis Ecclesiasticis, quæ Deo, & Ecclesie consecrata sunt: Fructus non vocantur beneficia, nisi materialiter & objectivè. 3. Propter officium aliquod spirituale cuiusmodi est oratio, psalmodia, cura animarum. 4. Auctoritate Ecclesie constitutum, non divino, aut naturali jure. Navarr. c. 27. n. 13. Horum multa genera sunt, de quibus actum in Part. Summ. Tit. 2. §. 1.*

II. Institutio Canonica appellatur, quæ fit secundum Canones: ad quod requiritur potestas in instituyente, habilitas, seu capacitas in recipiente, & modus seu solemnitas à jure præscripta. Sumitur autem non uno modo. Nam 1. significat liberam collationem beneficii Ecclesiastici, ut passim in tit. 7. l. 3. *Decretalium.* 2. deductionem in possessionem beneficii, jure communi per Archidiaconum faciendam, quamvis hodie per Notarios, aut quemcunque alium de Collegis fiat. 3. collationem beneficii non liberam, quam alicui investi-

turam vocant, quæ fit ad præsentationem patroni. *Vallensis l. 3. tit. 7. pag. 441. & Dynus, qui exemplo hereditatis declarat, quomodo differant tria hæc. Designatio personæ, confirmatio illius, seu investitura, & missio in possessionem. V. quæ dix. in Part. 1. Summ. tit. 2. §. 2.*

III. Ex his patet Regulæ intentio, & sensus. Beneficium Ecclesiasticum sine institutione Canonica non obtinetur, id est, Ius percipiendi fructus ex bonis Ecclesiasticis & à nullo iuste aut legitime acquiritur, occupatur, vel retinetur, nisi Canonico more, ac solemnitate illi collatum fuerit, aliàs innumeræ perturbationes, imò sanctæ religionis ruina metuenda est: c. *Quoniam investituræ 16. q. 7.* Beneficium Ecclesiasticum igitur obtineri non potest 1. transactione, quia hæc non fit sine datione alicujus rei, in qua Simonie periculum est. c. *Siquando de off. deleg. c. Constitutus. de transactionibus:* quam illicita non est aliqua compositio de expensis factis, aut de jure controverso. 2. neque præscriptione. Hæc enim ut legitima sit, bona fides, & iustus titulus requiritur. At qui contra Canones beneficium obtinet, bonam fidem non habere præsumitur *Reg. 1. in 6.* 12. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere. 3. Neque

que per sententiam. Nam ut in causa matrimonii carnalis Iudicis sententiæ non transit in rem iudicatam, ita nec in causa matrimonii spiritualis, quod suo modo est inter beneficiatum, & Ecclesiasticam ratione beneficii, & officii. Vnde sequitur necessarium, quocumque defectu vitiosa fuerit beneficii acquisitio vel institutio, nullo remedio posteriori corrigi: adeo ut nec absolutio, nec dispensatio prodest illi, qui in excommunicatione beneficium accepit. *Archid. in c. Nullus. dist. 63. Felinus in c. Cum dilectus. de accus.* Nam quod nullum initio fuit, factu posteriore non firmatur: Quocirca Summi Pontificis quoque consensus, & approbatio facta ab ignorante impedimentum, nullum effectum operatur, quia præsumitur deceptus, adeoque inuitus. *l. Auctoritate. c. Vnde. in c. si gratiose. de Reserv. in 6.*

IV. Amplia 1. ut non valeat institutio vitiosa, quamvis alii idonei ad beneficium capiendum deessent. Melius enim multo est, beneficium vacare, quam inhabili conferre. 2. invalida quoque est confirmatio intrusi violentæ, cum ab ignorante Superiore datur. Et quamvis triennio beneficium obtinuerit, adhuc molestari potest: quia quæ juri contraria sunt, nunquam censentur confirmari, nec gratia de illiciti beneficii occupatione per taciturnitatem vitii, extorta subsistit. *Panorm. in c. præterea. de iur. patron. & c. quisquis de elect. 3.* Idem de actis dicendum, nimium irrita censeri, quæcumque ab intruso fiunt, quantumcumque dicatur esse toleratus: Tolerantiæ enim, ut *Panorm. ait in c. 2. de rest. in integr. apud*

intrusum nullus locus est, nec tractu temporis convalescit vitiosa possessio. Vnde nec salva conscientia retineri tale beneficium potest. *c. Dudum. 1. de elect. 4.* Si notoria sit beneficii injusta possessio per Iudicem expelli potest, quod veluti singulare quiddam annotat *Hippolytus, & Innoc. apud Peckium. pag. 25.* quia alias nec prædo, nec fur aut raptor possessione sua absque causæ cognitione privandus est. 5. Nec longi temporis consuetudo, quæ corruptela potius censenda, remedium adferre potest. *Panorm. de consuet. c. 1. & c. Cum causam. de re. iudic.* Denique nec titulus post beneficii collationem accedens, ut si primum clericus fieret per tonsuram. *c. Non firmatur. Reg. 18. infra. Rebus. in tract. de pacif. poss. n. 190.*

V. His tamen adversari videtur 1. textus in *c. Cura de iur. patron.* ubi Ecclesiæ à laicis acceptæ acquiruntur per clericum præscriptione. Verba hæc sunt. Nullus vestrum aliquas sibi Ecclesias (ex donatione laicorum) vendicare præsumat, vel retinere taliter acquiritas, nisi legitima fuerit præscriptione munitus, aut Diocesani Episcopi habuerit postea consensum. Valet igitur vitiosa acquisitio, si præscripta sit, vel consentiat Ordinarius.

R. Præscriptio haud dubiè valet, quæ bona fide nititur: consensus Episcopi quoque, in iis, in quibus Canones non resistunt. Igitur in dicto *c. Cura.* sermo est, de illis qui bona fide à laico Ecclesiam accipiunt; existimantes aut præsumentes Episcopum, ut vigilem Pastorem, de ejusmodi donationibus habere notitiam, & consensu minimum

30
tacito approbasse. At in beneficiis Ecclesiasticis neque bona fides, neque Episcopi consensus præsumi potest, quandoquidem Ius resistit, ut Regula, quam explicamus, docet & unde desumpta est. *c. 3. de instit. c. Relatum 21. de iure patron.*

Quare nec illud applicari hic potest, quod bona fides, & communis error defendat possessorem, qui creditur iustus, & habilis *l. Barbarius tit. de off. prat.* quia licet in rebus sæcularibus & civilibus, quibusdam etiam spiritualibus id obtineat, in hac tamen materiâ beneficiorum alio jure utimur. *Iason addi. l. Gloss. & Panorm. in d. c. cura.*

2. Objicitur. Qui beneficium Ecclesiasticum triennio possedit, nec in possessorio, nec in petitorio iudicio molestari debet, juxta *Reg. Cancell. 33.* quod signum est bonæ fidei & præscripti locum esse.

R. Quicquid sit de foro contentioso, ubi litium multiplicatio ingrata est, magis contentaneum rationi & juri videtur, ut injustus beneficii possessor tam in iudicio animæ, quam Ecclesiastico condemnatur ad relinquendum beneficium obtentum, quia possessio injusta pro nullâ reputatur, quemadmodum nulla censetur exhereditatio, quæ contra leges facta est. *l. non putavit. tit. de bon. possess.* Quocirca minimè audiendus est *Gomez., apud Azor. 11. l. 7. c. 35.* qui per Regulam citatam Cancellariæ defendi putat, quemlibet possessorem, modò verosimilem aut coloratum titulum habeat, exceptis Simoniacis, & intrusis in beneficium Papæ reservatum, quos ipsa Regula excludit. Non est audiendus dico propter innumera

absurda, ex ejus sententia emanantia. Sequitur enim, spurios, infames, laicos, pueros, imò feminas, si beneficium Ecclesiasticum quocunq̄ue dolo, antemodo, per triennium occupassent, securus & immunes fore, quo nihil scœdus. Quid ergò Regulæ, ais, faciemus? Loqui de possessione juris, non facit dicendum, id est, de tali possessione, cui Ius non resistit, ut qui secundum illum pacificè cum bonâ fide tenuit beneficium triennio, de jure per sententiam iudicis non debeat. *Reginald. l. 33. tr. 3. n. 258. Less. c. 6. n. 10. dub. 10. Laym. l. 4. tr. 2. c. 15. n. 4. V. qua dix. in Summâ Part. 1. tit. 2. §. 2. Navar. l. 3. Consil. 40. & 41.*

V I. Ex dictis sequitur, primò clericum, qui se beneficium legitimè obtentum existimat possidere, quamvis contra tertium, qui oppugnare nititur, trienniali quietâ possessione securus sit, ab Ordinario tamen suo cogi posse ad probationem tituli, quemadmodum à *Covar. Maranta,* & aliis annotatum, teste *Barbosa hic*: qui extendit etiam ad causas profanas. Nam primò ad exhibitionem titulorum suorum Princeps cogere potest Magnates suos, & Officiales. *Valas de iure emphyt. l. 1. q. 8. Secundò* quilibet directus dominus compellere emphyteutas secundum *Corbul. de iur. emphyt. & Steph. Gratianum Discept. for. 188. n. 31 & seqq.* Tertio idem de *Vasallo* quolibet iudicium est, teste *Mascardo de probat. concl. 1372. Gratiano l. cit. Bern. Grav. in Pract. Camera Imperialis l. 2. Concl. 69. quibus Andr. Gaill adversatur l. 2. obs. 69. n. 7.* existimans Vasallum ordinariè ad ostensionem tituli sui non posse compelli, quamvis alicubi per consuetudinè fiat. *V. Pet. Duen. in reg. 77.*

RE.